BISTRIȚA / BISTRITZ, NÖSEN / BESZTERCE

Statut în opt puncte al orașului Bistrița, redactat în prezența reprezentanților Universității Săsești, prin care se pedepsește orice complot împotriva orașului.

Nos Georgius Syweg, iudex regius civitatis Cibiniensis, ac Michael Heggyes magister civium et Paulus Bolkasch iudex regius civitatis Segeswariensis necnon Sigismundus Gemmarius et Johannes Hack iurati cives civitatis Brassoviensis, item Andreas Zabo iuratus civis civitatis Cibiniensis atque Urbanus et Quirinus Pelliones iurati scilicet cives civitatis Meggyensis tanquam iudices delegati, nomine et in persona tocius Universitatis Saxonum Transsilvanensium ad civitatem Bistriciensem pro variis causis litigancium ibidem iure mediante specialiter deputati, electi et missi, memorie commendamus quod cum varias causas litigantes nobis commissas iure mediante revidissemus, ultimoque simul congregati fuissemus maturo consilio prehabito considerantes et perpendentes quomodo ex huiuscemodi variarum differenciarum gravibus plerumque homines cuiuscunque condicionis extiterunt, diversimodi affici et in diversum trahi possent, it ut exinde nedum civitati Bistriciensi reipubliceque eiusdem, sed et toti Universitati Saxonum Transsilvanensium ingens incommodum et periculum emergi et exoriri timendum foret. Quandoquidem omnibus constat, quod ex parva scintilla sepenumero ingens et inextinguibili oritur incendium. Quod quidem tanquam exicialis venenum dei optimi maximi auxilio sopire atque extinguere volentes, racione perpetue concordie pacis et tranquilitatis inter dictos dominos Bistricienses ac totam eorundem communitatem statuendos et stabiliendos [...] eisdem subsequentes articulos ab omnibus cuiuscunque condicionis hominibus inviolabiliter observandos, tradendos et exhibendos duximus.

Item primus. Si quid amodo et deinceps in civitate Bistriciensi tam inter iudices, cives atque communitatim inventus fuerit, qui vel per se vel per alium ullas discordias, dissensiones et controversias suscitare ausus fuerit, medio quarum civitatem ipsam quovismodo periclitare contingeret, hic irreversibili pena capitis et omnium bonorum puniri debet, tanquam publice pacis et unionis turbator.

Secundus. Quod si quis (cuiuscunque condicionis homo fuerit), aliquid audierit ab alio quopiam ex quo civitati, iudici vel civibus, aut toti communitati aliqua discordia aut dissencio ac demum periculum quovis modo exoriri et emergere posset. Atque idipsum vel iudici, vel iuratis civibus, vel aliis quibuscunque quorum interest non revelaverit atque induxerit, ac tandem de eodem sufficienter comprobatum fuerit, hoc ipsum se scivisse, et non induxisse, ille quoque pena premissa hoc est capitali ac amissione omnium bonorum puniri debet.

//1v// Tertius. Quod si quis aliquid quovis modo pro certo audierit vel viderit unde civitati, iudici, civibus, vel toti communitati honoris derogatio vel damnum aliquod quovis modo emergi posset atque idipsum iudici et civibus vel aliis quorum interest non revelaverit, premissa quoque pena irremissibiliter puniri debet ut futuris semper temporibus omnibus posteris exemplum sit manifestum.

Quartus. Quod si quis audiverit, viderit vel plenarie et pro certo intellexerit, quod proventus civitatis Bistriciensis ac pertinenciarum suarum indebite percepta vel extradata fuerint atque ad ea loca data et assignata, que non opportet neque deceat, et idipsum domino iudici vel aliis quibuscunque quorum interest non revelaverit, premissa quoque pena capitali ac amissione omnium bonorum puniri debet irremissibiliter.

Quintus. Quicunque vel iudex vel iuratus civis, vel cuiuscunque condicionis homo secreta consilii civitatis revelaverit aut quovismodo effutiverit, quod probabile fuerit, ille quoque pena premissa capitali ac amissione omnium bonorum puniri debet irremissibiliter.

Sextus. Quod cives iurati et universa quoque communitas a maximo usque ad minimum in omnibus licitis et honestis ac debitis politicis domino iudici ac tandem iuratis civibus pro tempore constitutis omnimodam obedienciam debitam plena fide prestari debeant, secundum ritum et consuetudinem aliorum saxonum Transsilvanensium, sub pena premissa irremissibili.

Septimus. Quod si quis certis dominis Bistriciensibus vel aliis quibuscunque, qui ex libro civitatis Bistriciensis veteri exempti, expuncti et del[eti] [...] nunc ex voluntate et deliberacione nostra existunt, cuiuscunque condicionis fuerit, idipsum in derogacione honoris sui obiecerit, ille pena irremissibili flor. centum subiacere debet, quorum prima tercialitas Universitati Saxonum, secunda tercialitas iudici Bistriciensi pro tempore constituto, tercia vero tercialitas parti concordie et unionis stanti cedere debet.

Octavus et ultimus. Quod domini iudex iuratique cives atque in universu tota communitas civitatis Bistriciensis a modo et deinceps omnibus modis in bona et pacifica quiete et amore fraterno mutuo vivere legeque regni secundum consuetudines et libertates aliarum civitatum Saxonicalium Transsilvanensium unicuique ius postulanti iusticiam suam debitam cum legittima et expressa execucione administrare, processumque eorum iuridicum unacum electione magistratus omnibus modis ceteris civitatibus Saxonicalibus (quorum communibus privilegiis et prerogatiis gaudent) conformari debeant et teneantur, sub pena provinciali tocius quociescunque excesserunt. Sic tandem divina gracia freti procul dubio rempublicam suam feliciter gubernare, ipsique unacum subditis //2r// suis beatam vitam vivere possunt et valebunt, hic tum in hoc non in futuro quo seculo. Quod faxit Christus dominus noster ac servator et arbiter omnium in se confidencium.

In quorum omnium premissorum fidem evidensque testimonium ac firmitatem et perpetuam rei memoriam prescriptam nostram iudiciariam deliberacionem de voluntate et commissione tocius universitatis Saxonum Transsilvanensium factam ad uberiorum prememorati civitatis Bistriciensis omniumque inhabitatorum eiusdem, cuiuscunque videlicet condicionis extiterint, cautelam dicte civitatis novo libro et prothocollo duximus inscribendam et inserendam. Acta sunt hec et facta feria sexta proxima ante dominicam Esto michi, anno domini 1542.

Hec modo premisso, presenti libro civitatis inserta et inscripta sunt. Ex commissione premissorum dominorum iudicum delegatorum tocius Universitatis Saxonum Transsilvanensium.

SJAN-CJ, POB, III3, 1r-2r